G. & P. in Domino. Primum R. P. in Domino excuso me
contra praefectum tuum, quem ego aspectum statim a Borna
reversus, maxime ab Eilenberga. Eo quod iam essem domi
& in foribus. Ob tota pertinatia me usque Wittembergam
deduxit. Simul & te cum illo accuso, quod sumptibus totius
itineris providere iusseris. Ut nullum omnino obolum
insumpserim. Neque enim eo tibi praeventum est opum
Episcopalium, ut prodigum esse conveniat aut deceat. At
quasi hoc parum sit, Cantaro argenteo & Coclearibus me
onerasti ignarum. Velut ille de quo dicitur. ~~Et~~ Iosephus filius
Iacobi, ac pene forem in initium fecisti tuaque rerum Quasi
ut tu fecisti. Iosephum exemplum interpretaberis. Qui
fratri suo Beniamin suum Scyphum in saccum clam iussit
mittendi. Verum tu ipse nosti quam indecorum sit Me
Theologum pauperem & humiliore loco & natum & positum
bibere argento & auro. Quare & hostibus & inimicis Verbi
etiam multis inter nostros scandalum praebeo & cetera. Itaque
in tuam praematuram & intempestivam prodigalitatem reiicio
omnem culpam protestans (siquid hoc promovebit) me tua
Charitate non mea voluntate tam superbum & ambitiosum
esse factum. Cui gratias ago quam maximas. Et siquid potest
mea tam frigida precatoris oratio apud Deum, efficiam ut
tui & administrationis tuae non immemor inveniar. Quamquam hoc
ipsum aliud debeam, absque munere & gratis, propter mandatum
Dei & necessitatem communem nostram. In quo bene Vale. Et ipse
Dominus dirigat gressus tuos & opus manuum tuarum in multa &
copiosa benedictione Amen. Quarta post Bartholomei

1544

T.

Martinus Luther D.